HEMISPHÆRIUM LUCIDUM BOETICO-SERAPHICÆ OBSERVANTUM FRANCISCANORUM PROVINCIÆ;

IN QUO, EX SUORUM LUMINUM CONIUNCTIONE MAGNA;

DUM PRO SYNODO SUA PROVINCIALI CONIUNCTA FULGEBUNT, QUASI IN CŒLO NOVO, QUATUOR DIERUM TEMPORE, MIRO FULGORE APPAREBUNT SIGNA;

VOCISQUE SEPTEMPLICIS CONCENTUS AUDIENTUR OMNIBUS NUMERIS PROPORTIONE CONCINNA, IUCUNDA, SONORA.

QUORUM OMNIUM SPECTATIONI SIGNANTUR DIES A 24. USQUE AD 27. MENSIS MAIJ, IN MAGNO S. P. N. FRANCISCI HISPALENSI CONVENTU. ANNO AB ORBE REPARATO 1715.

9



Huic Franciſciadum meritò ſubiecta Propago,
Servit, & eſt *MAIOR*, diligit, eſtque *MINOR*.

SIGNORUM ENARRATIO, SIGNATUR ET RATIO PRO BŒTICO-SERAPHICA SYNODO.

MAXIMA Minorum Obſervantium Familia, dum ſuam Cœleſtem Sphæram novis optat colluſtrare fulgoribus, & vt novum Cœlum, nova Luna, Minorum aliorum ſiderum *Superiori*, quæ quaſi Luna plena in diebus ſuis præſit & proſit; novis, & ſine nævo coruſcantibus Stellis, (quæ Prælatos ſignant, ex N. Senenſi) Spiritus Sancti operante virtute igniri petit, inſigniri cupiens, pro votorum feliciori omine, in ſigna lætitiæ, ſuo in Hemiſphærio Sacro varia, & vera ſigna coruſcare faciet, admiranda præbebit. Rationem audiſti; Signa conſidera. Primo intuitu Signum magnum apparebit in hoc Franciſcano Cœlo; Mulier amicta Sole, Stellarum Corona, Luna ſub pedibus, vndique pulchra, tota ſine macula; planè miraberis & plenè. Sed deſine mirari, iterum inſpice: videbis Stellam in Oriente fulgidam, Solis rotam decore vincentem ac lumine, quæ noſtrum Hemiſphærium Sole clarius illuſtrabit; videbis & afflues, mirabatur & dilatabitur cor tuum. Nova vidiſti, ſed non omnia. Leva iterum in circuitu oculos tuos, videbis Angelum aſcendentem ab ortu Solis, habentem ſignum Dei vivi,

vivi, præ cuius coruſcante Maieſtatis gloria, attenuantur oculi tui ſuſpicientes in excelſum. Tria Signa vidiſti: quartum ignoras? Vide. Fiet ſilentium in Cœlo, & videbitur altare habens thuribulum aureum, & incenſa multa, aſcendetque fumus incenſorum coram Deo. Demùm, aliud Signum videbis magnum & mirabile; *SCOTO* Solem, *Minorum* Luminare maius, Aſtronomo-Theologum, & *Marianum*, motu proprio percurrentem miraberis Globum Theologicum, & in duodecim *Zodiaci* Signis ſigna facientem, & prodigia; de cuius mira doctrina tres erunt, qui teſtimonium dent in Cœlo noſtro. Hæc ſunt, quæ conſpecturus es ſigna; oportet enim primùm hæc videri, & ſtatim finis.

SIG-

SIGNORUM SIGNATA,
ET DECLARATIO SERMONUM
IN DIES QVATVOR.

PRIMI SIGNATVM.

PRIMA DIE, MVLIER AMICTA SOLE,
STELLIS CORONATA, ET LVNA SVB PEDIBVS,
SIGNVM ERIT.

SIGNATVR VNA VIRGINUM VIRGO,
QVÆ IN PRIMO SVÆ ANIMATIONIS INSTANTI, VT SOL
ELECTA, CIRCUMAMICTA SOLE, STELLIS DVODECIM
CORONATA, OMNIVM GRATIARVM DIADEMATE, SUPRA
LVNAM, SVPRA SOLEM, ET CŒLUM FVLSIT EX
ORE ALTTISSIMI PRODIENS, PRIMOGENITA
ANTE OMNEM CREATVRAM.

HAC DIE MAGNA, ET LUMINOSA VALDE,
QVAM *Minoribus* FECIT DOMINVS, VT EXVLTEMVS, ET
LÆTEMVR IN EA, ET GAVDIVM NOSTRVM SIT PLENVM;
HOC INITIVM SIGNORVM VENERABIMVR CERNVI,
QVIA GLORIA NOSTRA HÆC EST, TESTIMONIVM
LÆTITIÆ NOSTRÆ.

IN CVIVS PANEGYRIM EXTOLLET VOCEM,
QVASI EX CORDE TOLLENS,

R. P. FR. BLASIVS ANTONIVS
ALVARES
LECTOR IUBILATUS, ET IN SERAPHICI DOCTORIS
D. BONAVENTURÆ *de propaganda fide* COLLEGIO
PRÆSVL DIGNISSIMVS.

SECUNDI SIGNATUM.

DIES SECUNDA STELLAM IN ORIENTE HABEBIT PRO SIGNO.

N. AMANTISSIMUM PATREM Cherubicum *DOMINICUM* Signatum intellige, qui quasi Stella matutina in medio nebulæ in Oriente suo lucere cæpit, & sine fine lucet; hæc dies *Minoribus* melior est super millia, quia tanto *Patri* filiali lege tenemur.

CUIUS IMMENSA CHARISMATA AB OMNIBUS PRÆDICANTUR, CUM SIT PATER PATRUM, QUI OMNIBUS PRÆDICANT; UNDE, SICUT LÆTANTIUM OMNIUM NOSTRUM HABITATIO ERIT IN ILLO IN DIE ISTA; IN QUA GLORIAM MAGNITUDINIS EIUS DICET, PATRISQUE SUI ERIT GLORIA, UT FILIUS SAPIENS,

P. FR. MARTINUS DE LUNA, JURE OPTIMO, PRÆDICATOR GENERALIS.

TERTIJ SIGNATVM.

TERTIA CLARA DIES ASCENDENTEM ANGELVM AB ORTV Solis, HABENTEM SIGNVM DEI VIVI MIRANDVM SIGNVM PROPONET;

CVIVS SIGNATVM IN NOSTRO SERAPHICO PATRE *FRANCISCO* SIGNANTER AGNOSCES;

QVI IN MVNDO NATVRA INVENTVS vt homo, puritate Angelus, ſuper homines, & Angelos aſcendit, diſſimilis omnibus, Vivo Deo ſimillimus, ferens in membris carneis Crucifixi effigiem deſcriptam digito Dei Vivi.

QUA INSIGNI DIE SOLEMNITATIS NOSTRÆ, SEDENTI SUPER THRONUM, poſtquam nova fecerit omnia, benedictio, & claritas, & gratiarum actio reſonabit, laudeſque conſummabuntur propter *Electos*, & Dominus dabit Verbum Evangelizanti

R. P. Fr. FRANCISCO HIERONYMO MONSALVE, LECTORI IUBILATO, ET IN ASTIGIENSI D. ANTONIJ CONVENTV MERITISSIMO GVARDIANO.

QUARTI SIGNATVM.

QVARTA DIE ERIT SILENTIVM IN HOC CŒLO;

ERIT PRÆPARATVM ALTARE, FVMVSQVE INCENSORVM ASCENDET CORAM DEO;

COELI CONCENTVS DORMIET, ſuſpendemus organa noſtra, & quieſcere faciemus omnes dies feſtos, ſolùmque vox in excelſis audietur ploratus noſtri ſuper aram, & tumulum *Excellentiſſ. D.D. Marchionum de Ayamonte*, Bœticæ N. Provinciæ Tutelarium, vt abſtergat Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, mereanturque evadere iuditium vltionis, & lucis æternæ beatitudine perfrui.

EN QUARTI SIGNI SIGNATUM, ET NOSTRÆ DEBITÆ GRATITVDINIS SIGNUM:

TVNC ORABIT, ET LAUDABIT BENE, (QVIA POST MORTEM IVCUNDA, DECORAQUE LAUDATIO)

P. F. DOMINICVS A IESV MARIA,

SACRÆ THEOLOGIÆ LECTOR, ET IN S. MARIÆ *de el Valle* HISPALENSI CONVENTU OPTATISSIMVS PRÆSUL.

IMMACVLATA, SVBLIMIS,
EXCELSA SUPER SIDERA:
SUPER MULIERES BENEDICTA MULIER,
AMICTA SOLE, ET SUPRA SOLEM IPSA:
STELLIS CORONATA, ET STELLARUM
TU IPSA CORONA:
COELUM ANIMATVM, IMO COELUM COELI
DOMINO IPSI, CUI TV SOLA SOLIUM IPSO CŒLO CELSIVS QUIA
SVPER CŒLOS ELEVATA EST MAGNIFICENTIA TUA:
PVLCHRA, SUAVIS, MELLIFLVA SVPER MEL
ET OMNIA, QVIA MELLIFLVI FACTI SVNT CĘLI, DVM MANU
DOMINI FABRICATA ES MATER CHRISTI DEI:
COELICOLARVM DOMINA POTENTISSIMA,
CVI FECIT DOMINUS MAGNA QUI POTENS EST, NEC MAIORA
POTVIT, CVM SIT POTENTISSIMVS: NOMINI SANCTO
TVO, & *instantaneo* NVMINI

O PURISSIMA PURISSIMA!

A SÆCVLO, NUNC, ET SEMPER, SICUT IN
PRINCIPIO;
HÆC COELESTIA SIGNA, ET OMNIA QVÆ IN
eis ſunt, ex iure debentur, tui enim ſunt Cœli, tuus eſt Sol,
(*Scotus*, ideo Noſter, quia tuus) & tua ſunt omnia, ex quo
Creator omnium Natus tulit eſſe tuus.
TIBI OFFERANT REGES MUNERA; NOS, QVIA
pauperes facti ſumus nimis, hæc ſigna damus amoris, qui erga
te neſcit habere modum; exigua quidem ſunt; ſed tamen, tui
ſumus, qui nihil proprium habemus, hoc optimè ſcis, quæ
in *vno inſtanti* corda noſtri *Minorum*, voces, & opera.
ERGO BENIGNO VULTV SVSCIPE, MATER ET
VIRGO, CLEMENS, PIA, DULCIS.

Nobis nil ſupereſt, niſi te, Formoſa, precari;
Amplectique tuos, ſi patiare, pedes.

SOL IN PRIMO ZODIACI SIGNO.

SCOTVS IN LINEA TRINITATIS.

ARIES Zodiaci primum Signum domus est *Martis*, etiam Nativitatis & vitæ. Exaltatio est *Solis*, qui in hoc Signo manens facit Æquinoctium. Exprimi benè potest Sanctissimæ Triados Arcanum, vt nostri Zodiaci peculiare argumentum. Innuit ita M. P. August. (Serm. 54. de Temp.) de illo *ariete annorum trium*, (Genes. 15.) asserens, signasse Trinitatis Mysterium, in quod essent omnes credituri. Domus est *Martis*, qui (ex Astron.) montes elevat in maiori ardore existens; sic in maiori suæ fœcunditatis vigore existente Deo, tres illi Divini *Montes* (tres personas signant, ex D. Ant. p. 1. tit. 3. cap. 17.) in vnica natura existentes, elevantur. Domus *Nativitatis*, *& vitæ*, quia dum per primam originationem nascitur filius ex memoria fœcunda Patris, per actum dictivum, nullius creaturæ cognitione supposita: & per secundam, scilicet per spirationem activam originatur Spiritus Sanctus, liberè & necessarissimè; vterque habet vitam intellectualem & subsistentem; Filius à Patre, á quo generatur, quia per intellectum naturaliter producitur: Spiritus Sanctus à Patre & Filio, á quibus vt ab vno principio procedit, & licet à Filio non procederet, maneret adhuc realiter distinctus ab illo. *Exaltatio est Solis, qui in hoc Signo facit Æquinoctium*, in quo, & incomprehensibilitas huius Mysterij, seclusa revelatione, & Personarum coæqualitas, cum proprietate signantur.

SOL IN SECUNDO ZODIACI SIGNO.

SCOTVS IN BEATITVDINIS LINEA.

T*AVRVS* secundum Signum domus est *veneris*, *ac possessionis*; exaltatio *Lunæ*. Signatur status Beatorum; & quidem est *Taurus* elatum animal, atque ex Arnoldo super illud (Psal. 64.) *animalia tua habitabunt in ea*, signantur Beati, quorum quilibet in intellectu elevatur per lumen, quod non est tota ratio agendi visionem; & per charitatem in voluntate, vt Deo fruatur. Domus *Veneris*, scilicet amoris, quia Beatitudo potius in amore quam in visione consistit. *Possessionis* domus, quia iuxta inæqualia merita, inæqualiter vident, inæqualitate proveniente á lumine, & intellectu. De facto vident quidquid in Deo est, sed de possibili, Essentiam sine attributis videre possunt, & Beati essent, qui eam viderent. Lumen de facto elevans, probabilius est, esse habituale; cuius efficientia per auxilium extrinsecum suppleri potest. Possunt Beati vitaliter intelligere per intellectionem á se non productam, & etiam per improductam, seu Divinam, de possibili. Sunt impeccabiles, non per visionem, sed ex sola Dei manutenentia. Non tamen ideò libero carent arbitrio, quia liberior est voluntas, quæ á rectitudine deviare non potest; sed non de libertate contingentiæ, qui legit, intelligat.

SOL

SOL IN TERTIO ZODIAZI SIGNO.

SCOTVS IN LINEA PRÆDESTINATIONIS.

G*EMINI* tertium signum domus est *Mercurij*, & quando pars vna huius constellationis oritur, & ascendit, altera occidit & descendit. Exaltatio est *capitis Draconis*. Symbolum est Prædestinati, & reprobi; sunt verè *Gemini*, vt Jacob & Esau eodem partu editi, quorum primus prædestinatus ascendit, & descendit odiosus reprobatus alter. Prædestinatio ad gloriam, etiam vt coronam, est ante prævisa merita. Omnino à contrario sensu intellige circa reprobationẽ positivam. Est hoc signum *Mercurij* domus: signatur, prædestinationem, & reprobationem actum esse intellectus, & voluntatis, huius, *formaliter*; illius, *præsuppositivè*. Exaltatio *capitis Draconis*, qui est Diabolus: quia pusillus grex Electorum in comparatione maioris numeri Reproborum, comparatione facta inter omnes homines, etiam Christianos; licet non sit ita, si inter omnes Catholicos, inter homines & Angelos, vel inter ipsos Angelos comparatio fiat, quia cauda eius tantùm trahebat tertiam partem Stellarum. Quæ in Prædestinato sunt ordinis superni, vel etiam naturalis ordinis, dum aliquo pacto conducant eum ad gloriam, sunt Prædestinationis effectus, quia omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundum propositum vocati sunt sancti.

SOL

SOL IN QVARTO ZODIACI SIGNO
SCOTVS IN ANGELORVM RVINA.

CANCER ſignum quartum, ex Iſid. animal eſt retrogradum, ſignum aqueum, inſtabile, nocturnum; domus *Lunæ*, exaltatio *Jovis*. Signatur Angelorum malorum natura. Lucifer enim caput eorum, (juxta Baſil. in Exam. Hom. 7.) verè *Cancer* retrogadum animal. Domus *Lunæ* quia in Plenilunio formatus gratiarum, *Jovis* ſupremi exaltatio, & iubilum erat: ſed ſuperbiens retrogradationem fecit; nil mirum, erat enim ſuæ naturæ pravæ ſignum aqueum, frigidum per amoris carentiam, inſtabile, quia ſtatim labile; nocturnum propter malitiam, & ſic incraſſatus ſimilem ſe Deo concupivit, nollens intelligere, vt benè ageret. *Sol in hoc ſigno retrogradationem facit*: ſic Deus propter immane facinus, per efficaciam ſuæ gratiæ retroceſſit, ipſum cum ſuis in obſtinatione relinquendo. Hæc non oritur ex naturali inflexibilitate voluntatis eorum, ſed ex carentia auxiliorum, quæ illis iuſtè denegat ipſe Deus ratione ſtatus. Illis Deus omnia gratuita abſtulit, ad integrum, tamen, naturalia reliquit. Primum peccatum fuit inordinata ſui concupiſcentia, luxuria, ſcilicet, ſpiritualis; vnde prodière ſuperbia, præſumptio, & omnia mala, propter quæ lugebunt in perpetuas æternitates.

Pro his tuendis aderit Fr. IOSEPHVS SANCHEZ D. Bonaventuræ Collegij Collega ſub tutamine R. P. Fr. ANTONIJ ROMAN Iubilati Lectoris, & in Conventu de Oſſuna meritiſſimi Præſulis. Die 24. Maij 1715. Veſp.

TER MAXIMO
RELIGIOSISSIMO, AC REVERENDISSIMO
P. N. FR. ILDEPHONSO
DE BIEZMA,
CATHOLICÆ MAIESTATIS ECCLESIASTÆ CLARISSIMO:
SYNODI REGIÆ PRO CONCEPTIONIS IMMACVLATÆ CANDORE CANDIDATO THEOLOGO:
PHILIPPI V. HISPANIARUM MONARCHÆ, CLASSIS SVPREMÆ MAGNATI:
TOTIVS ORBIS SERAPHICI AMPLISSIMO GENERALI MINISTRO, ET PAUPERVM PATRIARCHÆ, TOTO CŒLO, LEGITIMO SVCCESSORI, C. T. C.

REVERENDISSIME PATER.

NEmo eſt, qui neſciat, quali devincis amore nos omnes, qui in hac tua Bœtico-Seraphica Provincia ſub tuæ Paternæ benignitatis vmbra vivimus, movemur, & ſumus. Ne ergo mireris, ſi dum, te iubente, pro Synodo Provinciali convenimus in vnum, in vnum omnes veniamus ad te, vtique de tua humanitate ſecuri, erga nos, vt aſſoles, inventuros exoratum; certi ſumus enim, & repoſita eſt hæc ſpes noſtra in ſinu noſtro, quod nobis cernuo affectu diligentibus te, omnia nunc cooperabuntur in bonum, & qua nos ſemper, pro dignatione tua proſequutus es humanitate, nunc etiam ipſa ſuſcipies, ne avertamur humiles facti confuſi. Qualecumque, ergo, eſt hoc noſtræ venerationis memoriale, quadruplici noſtri ſigno ſignatum amoris, iube, perferri per manus noſtras in conſpectu tuæ genialiſſimæ beneficentiæ, & benigno vultu ſuſcipiens, confirma hoc, quod operatus eſt in nobis filialis amor, poſtpoſito noſtræ puſillitatis timore. Vive, igitur, R^{ME}. Pater & Solio, & Cœlo, & tibi felix, & nobis, & Vrbi, & Seraphico Orbi, plus vltra felix æternare. Vale.

SOL IN QVINTO ZODIACI SIGNO.
SCOTUS IN MAXIMO SACRAMENTO.

L*EO* quintum ſignum, ſignum igneum eſt, domus *Solis*, eiuſque exaltatio. Signatur & bene Chriſtus in Euchariſtia. Sol enim in hoc ſigno manens *magnum emittit incendium*: ſic noſter Leo de tribu Judà in hoc ſuorum miraculorum maximo nobiſcum manens, in finem nos diligens, ignem ſui amoris ſuccendit ad ſummum: *Ideo ſignum igneum*: quia opus ſummi amoris: domus *Solis*, quia in eo poſuit tabernaculum: eiuſque *exaltatio*, ſicut enim exaltati ſunt Cœli à terra, ita hic exaltatus eſt noſter Amans, ſine fine diligens. Manet in eo realiter præſens ſub accidentibus panis & vini, ſub quibus ponitur non per actionẽ Corporis, & Sanguinis productivam, ſed adductivam. Licet maneret ſubſtantia panis, & vini, ſalvaretur Verborum *Conſecrationis* ſpeculativa veritas. Nullam habet vnionem cum accidentibus, nec illa ſuſtentat vllo modo. In hac Mirabilium memoria, & ratio *Sacramenti*, & vis *Sacrificij* reperitur. Vt *Sacramentum* eſſentialiter conſiſtit in ſpeciebus panis, & vini, prout connotant Chriſti Corpus, & Sanguinem ſub illis contentum. Vt *Sacrificium* verò conſiſtit eſſentialiter in conſecratione, & Sacramenti ſumptione: ex quibus tota integratur eſſentia Sacrificij. Tantum ergo Sacramentum venerantes cernui, ſacrificemus Deo hoſtiam laudis, quia in finem dilexit nos.

SOL IN SEXTO ZODIACI SIGNO.
SCOTUS IN THEOLOGIA MARIANA.

SOL *in Virgine* Sol est supra Solem, quia Scotus in signo *Virginis* levavit se supra se. Domus est *Mercurij*, eiusque exaltatio. Deum magnificavit Maria, Divinique *Mercurij* domus repentè facta est, ipsum mente & ventre concipiendo & pariendo. Ad eius generationem concurrit activè. Fuit Filij Dei Mater naturalis ex parte potentiæ activæ; sed Mater admirabilis & miraculosa quantum ad modum. *Sol in hoc signo manens, humorem calore consumit*; sic Deus quiescens in Virgine per gratiam á primo animationis instanti, humorem concupiscentiæ, & *fomitis* consumpsit in illa, & peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore eius. Obijt corporaliter, non ob culpam, sed iure naturæ, vt etiam in hoc similis esset filio, cui in gratia fuit simillima sine exemplo, omnem gratiæ, quæ in Christo est, plenitudinem habens, quamquàm alitèr, vt dicit Hieronymus, & benè scit Theologus. Problema est, an in Conceptionis puncto habuit omnium rerum cognitionem; circa quod, & circa meritum maternitatis, eleva mentem, & *quidquid* (lucet Scotus in Augustino) *vera ratione melius occurrit, scias, Deum hoc magis fecisse, quam non fecisse*; in quibus, & alijs quæ dicuntur de Maria, Scotista esto, quia in his omnibus superavit Scotus propter eam, quæ dilexit illum.

SOL

SOL IN SEPTIMO ZODIACI SIGNO.

SCOTUS IN LINEA INCARNATIONIS.

L*IBRA* ſeptimum ſignum, domus eſt *Veneris*, exaltatio *Saturni*. Per *Libram*, ſeu ſtatèram (.D.Greg. 7. moral.) ſignatur Chriſtus D. qui ad penſandum vitæ noſtræ meritum venit miſericors & iuſtus, ſed miſericordiæ lance præponderans, quia miſericordia eius fuit, & magna eſt ſuper nos. *Domus Veneris*, quia Incarnatio opus ſolius amoris, quam nullus meruit de condigno, nec de congruo quoad ſubſtantiam. *Exaltatio Saturni*, quia hominem deiectum exaltavit in Verbo. Venit de facto, vt nos redimeret á peccato; ſed ex vi præſentis decreti, licet non eſſet peccatum, veniſſet. Terminavit vnionem hypoſtaticam per perſonalem proprietatem, quæ fuit formalis ratio terminandi. Homo Deus impeccabilis eſt, non per aliud, quam per decretum Divinæ manutenentiæ. Meruit in primo Conceptionis inſtanti, & ſibi, & nobis; ſed ſibi fruitionem non meruit, nobis autem meruit & primam gratiam. Non fuerunt eius merita ſimpliciter infiniti valoris; fuit tamen eius ſatisfactio intrinſecè ſuperabundans, & ex toto rigore iuſtitiæ, problematicè. Non fuit abſolutè neceſſarium, hominem Chriſti morte reparari, potuit enim, volentè Deo, pura creatura pro ſe, & pro alijs ad æqualitatem ſatisfacere.

SOL IN OCTAVO ZODIACI SIGNO.
SCOTUS IN LINEA DE PECCATIS.

SCORPIO octavum signum domus est *Martis* & *mortis*, & nullius exaltatio. Signatur peccator ex illo Ezech. 2. *Et cum Scorpionibus habitas.* Ideo nullius est exaltatio, sed *Martis* domus & *mortis.* Hæc mors animæ, seu peccatum ita adversatur legi, vt si lex nulla esset, neque peccatum. Consistit in aliquo positivo legi dissono; vel, probabilius, in privatione moralis rectitudinis, quæ actui debere inesse, & debebatur *in ellici.* Crimen est læsæ Maiestatis Divinæ; ideò terminativè infinitè malum; sed tamen in ratione offensæ intrinsecè infinitum simpliciter non est. Quod de formali est in peccato, sola creatura facit, cum à bono deficit, sed ad materiale, etiam Deus cum illa concurrit simultaneè. Prædeterminare autem nequit Deus ad peccatum in nulla linea. In mortale & veniale distinguitur adæquatè peccatum, & ita differunt, vt ex omnibus venialibus fieri repugnet mortalis vnius malitia; cum quo licet coniungatur veniale, non plectetur in inferno pœna æterna. Pura omissio libera, rigorosé pura, possibilis est in omni linea.

Defensabütur à P. Fr. EMMANVELE HIERONYMO DE CASTILLA in Venturino Collegio Collega; sub auspicijs P. Fr. IOANNIS LASSO DE LA VEGA ibidem Primarij Lectoris. Die 25. eiusdem mensis & anni. Vesp.

CLARISSIMO VIRO, NOSCIBILI,
ET NOTO FACTIS, ET FASTIS, CUM
LAVDENT EVM IN PORTIS STEMMATA EIUS:
HOMINI IVCUNDO, LIBERALI, PROFUSO, QVI
MISERETUR, ET COMMODAT MAIORA *Minoribus*, VNDE
ELEEMOSYNAS ILLIVS ENARRABIT OMNIS ECCLESIA *Minorum*,
QVOS ALLICIT AMANS, ET INTER QVOS ERIT
IN MEMORIA ÆTERNA.

GENIO PRÆSTANTI, INDOLE FAMOSO,
ET IN HIS, ET ALIJS

EXC^MO^. D. D. ANTONIO

OSSORIO, ET MOSCOSO, PHELIPPEZ DE
GVZMAN, MESIA, DAVILA, MENDOZA, ROXAS,
MANRIQUE DE ZVñIGA, VELASCO, ET ARAGON,

DVCI DE AGUIAR, ET SAN LVCAR LA MAIOR,
Marchioni de Aſtorga, Leganez, Velada, Almaſan, Poſa,
Ayamonte, Villa-Manrique, Mairena de Morata, & S. Roman;
Comiti de Altamira, Traſtamara, Monteagudo, Lodoſa, Santa
Martha, Nieva, Azarcollar, Saltes, Colle, & Villalobos,
Principi de Arazena.

ET, QVOD PRO SVO GENIO ILLI MAIUS EST,
huius noſtræ Provinciæ benigno Patrono, hæc, quæ ſequuntur, ſigna, ſignata in theſauris noſtræ gratitudinis, lubenter, & libenter de more ſacramus, & amore, vt tot tanti Principis erga nos patefacta profuſionis ſigna, ſuper nos ſignata ſint, & relinquant nomen narrandi laudes eius generationi omni, quæ ventura eſt.

SIC OPTANT *MINORES* INNATA, QVA POSSVNT,
OBSERVANTIA MAIORI.

Signa hæc affectus grati monſtramus ad illum,
Cuius amor nobis pignora mille dedit.

HYMENÆON CASTUM, CULTUM SCOLION,

Minorum ex æde Sapientum in ore
resonans, assonans,
festis comitialibus, sacris jugalibus
quibus, inter
cœtus, delectus, eunomias,
præconia, eulogia, concentus,
flores, lilia, rosas,
castra, arma, conflictus,
Minoris Hesperiæ Minorum Eparchia
à Bœti quæ ducit nomen, vel nominis omen,
novo parat ire viro
gratissimo, selecto, dignissimo,
qui
præsit, pascat, prosit,
moneat, minet, muniat,
circuat, conservet, custodiat.
Hoc sperans, ad hæc aspirans,
dum
corde, ore, opere,
clamat, orat, petit,
Veni sacrum
Numen, Flamen, Lumen,
mentes corda sensus
invise accende illustra
tuorum:
locum palæstram pergulam
festis athletis laudibus
parat, armat, ornat
quater mane, ter vespere
Domo Magna Hispalensi signati Seraph D. P. N. FRANCISCI, à die 24. usque ad 27. Aprilis, Anni Dom. 1733.

EPICHIREMA.

GRAPHIS COMITIORUM EX MITHISTORIA.

LÆta inter connubia, lauta inter convivia quibus de (Homer.) rebus gravioris negotii, & (Alex. ad Alex.) ad bonum publicum pertinentibus agebatur, doctis (Nat. Comit.) convivas oblectare sermonibus, argutis (Plutarch.) mentes condire quæstionibus, dulcissonis drammaticis canticis (Quintilian.) laudes Deorum, Heroumque extollere, Priscis solemne. Geminatum canticum, binive (Scaliger) generis canebatur carmen, alterum Hymenæon, vel Epithalamium, seu nuptiale carmen, alterum convivale Scolion, quod ad morem (Clemens) erat Psalmorum Hebraicorum, Scolion dictum (Hesich.) non propter modum carminis, sed quia soli docti illud canebant. Haud secus lucibus convivalibus nostris, solemnibus facibus, provincialibusque comitiis Bœticæ Francisciadum Provinciæ, ad res gravioris negotii, ac commune ejus attinentes adunatis bonum, concinnæ audientur conciones, culta Divorum præconia, compta Heroum eulogia, encomiastica Mecœnatum cantica, solerti discursu *Subtilis* quæstiones discussæ. His cunctis materiem affert, & offert carmen consonum nuptiale, Scolion concinendum convivale. Exoptatur jam? Jam venit ad limam, & ad linguam.

Surge Musa nuptiales
Æmulata voce plausus,
Per feracis arva Bœtis
Quæres flores, carpe frondes:
Carminumque mille fœta
Vere pulchro cinge, pulchro rore sparge tempora,

HYMENÆON SACRUM, GRATUM SCOLION,

BOETICÆ SERAPHICÆ EPARCHIÆ EPIGRAMMIA CONCORDI, ACCORDI RECINENDUM VOCE.

In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum canticum pro dilecto.
Eructavit cor meum verbum bonum.

MYstagògus psalmicen cycnus, præsens (Symmach.) Epithalamiũ, seu nuptiale carmẽ pro (Ap.N.Lyran.) Assueri, & Edissæ, vel Salomonis, & Pharaonis filiæ læto conjugio, propriusve, & verius pro Christi, & Ecclesiæ mystico condidit conjugio. Castis ergo, festisque celebrandis nuptiis quibus, Minoriadum Bœticæ Provinciæ Ecclesia uni viro, seu Salomoni *Pacifico* (iud.Bib.) seu *Principi, Capiti* Assuero, vitta coccinea charitatis conjungenda in Christo, læto murmure mulcebit aures hoc nuptiale carmen, quod & fas est convivale nuncupare Scolion; illud enim unice, regio Hymenæographo comite, sapientum heptas dulci, acuto, gravi modulamine concinet. Exordiamur: interea tamen plaudat turba paupercula, solvantur habenis gaudia; &

Tu festas Hymenæe faces, tu Gratia flores
Elige: tu geminas Concordia necte coronas.

EXEGESIS EPITHALAMICÆ EPIGRAPHES, VERSIONUM PERIOCHA.

ASsertis toto relicto corpore cantici, ejusdem reliquis infumemus epigraphem. Quam igitur præfert Vulgata, *In finem, pro iis qui commutabuntur*, Chaldæus vertit Paraphrastes, *In laudem, pro Judicibus ordinatis*

à Mose: quod haud erit ocyrus centoculis argis, Definitorii selectis Patribus, ab numerosæ plagati Patris stirpis Ductore, ac Generali Pastore tribum hanc super Bœticam constitutis Judicibus, statuentibus leges, æstimantibus præmia, disponentibus munia *filiis Core, filiis* (D. Aug.) *Calvariæ, vel Crucifixi,* seu (Flores) *Filiis Christo confixi Francisci,* qui hoc comitiali cætu pro meritis *commutabuntur*. Illo tituli, *Ad intellectum,* notatur (R. Salomon) *sermo clarus, elegans, comptus, eruditus*; etiamque (Maluend.) *ingenium, doctrina* (Steuchus) *arcana sapientia, eruditio.* Horum nihil comitialibus deerit festis, quater enim cum primum consurgit Phoebus ab undis, bis duo erunt è rostro fantes, sacri eloquii velut fontes, quorum sermones elegantes, eruditi, compti, clariores Sole, conditi sale cunctorum complebunt aures. Ter etiam cum Titan sub imum vertitur orbem, tres ingenio florentes, subtili doctrina affluentes, arcanam suam sapientiam pandent, eruditionem prodent, asserta protegent, & Scoto Scuto, Luce, Duce ad arma cient. Ad reliqua jam dividenda, periocha, seu brevi summa sequentia præmittuntur. *In finem.* Steuch. *Iubilatio.* Arias Montan. *Ad præstantem.* Septuag. *Ad canendum totis præcordiis.* R. David, *Prædito arte canendi.* Chaldæus, *Ad laudandum.* Felix, *Danti æternitatem. Pro iis qui commutabuntur.* Arias Mont. *Super lilia.* Tuccius, *Super rosa.* Symmach. *Pro floribus.* D. Hier. *Pro liliis.* Valentia, *Pro rosis. Ad intellectum canticum pro dilecto.* D. Hier. *Eruditionis canticum amantissimum.* Jam ergo distinguamus, signemus

Luces,	sessiones,	festa,
conciones,	Oratores,	assumpta,
pugnas,	Mecœnates,	asserta,
Præsides,	quæstiones,	Athletas.

LVCE PRIMA

CAPITULARIS EXORSUS, UT CUNCTA NOSTRA OPERATIO RECTE INCIPIAT, PERFECTE PROGREDIATUR, ET FELICITER FINIATUR, GLORIA, LAUS, HONOR, NOSTRAQUE DIRIGITUR

Iubilatio

Ad præstantem,

Stantem ſemper, cadentem nunquam;
mundo raram, Deo dignam,
Sponſi amicam, Agni ſponſam,
Matrum Reginarum Virginum
Optimam, Auguſtiſsimam, Inclytam;

Super lilia

virentia, formoſa, vernantia,
originalis
gratiæ, puritatis, juſtitiæ,
Immaculatæ ſuæ Conceptionis.

AD PVRISSIMAM
VIRGINEM MARIAM,

quæ ſicut lilium,
inter virgulta viruit, inter dumenta floruit,
nec effuſcatum, nec ſuffocatum;
ſed indecore decorum, ex horrido ſpecioſum,
florens in arido, redolens ex foetido,
prodiit ſtirps pulchra fœdæ parentis;
canore idcirco, & concinne:

Lilia deformis cernis pulcherrima terræ,
Maternum ſoboles vincit honore decus.
Progenies Evæ Virgo eſt, diſcrimine in uno eſt,
Hæc nullum crimen quo maculetur habet.

Puræ Matris in honorem elevabit eloquentiæ fluctum, lætificabit cunctos ſapientiæ impetu, puroque ſimillimus amni fundet opes R.P.Fr. JOSEPHUS SANCHEZ, Sacræ Theologiæ Jubilatione merito laureatus.

LVCE SECVNDA,

CONGREGANTUR PLAGATI PATRIS NATI,
Ad canendum totis præcordiis
Trædito arte canendi,
Orpheo Sacro
insigni, facundo, celebri,
Genus Hesperiis qui traxit ab oris,
Mundi fidei Ecclesiæ
lumini, scuto, columini.
Domini de nomine magno,
Quo se Caleruga ad sydera tollit,

AMANTISSIMO PATRI

N. D. DOMINICO,

sapientia, donis, miraculis
maximo,
factis, exemplis, verbis
potenti,
horrenda efferata saxea
novatorum peccatorum hominum
agmina monstra corda
convincenti, vincenti, mulcenti,
cui melius quod de alio alius:
Silvestres homines Sacer interpresque Deorum
Cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rapidosque leones.
Hujus in laudem, os suum aperiet sapientiæ ingenio divite valens, linguæ flumine pollens, P. F. DIDACUS XIMENEZ, Majoris SS. Apostolorum Petri, & Pauli Complutensis Collegii Collega, & Seraphica Magna Hispalensi Domo Sacrorum Dogmatum primarius Moderator.

LVCE TERTIA,

DEO GRATI PRIMI PATRES NEO-ELECTI, ASCENDUNT IN DOMUM DOMINI,

Ad laudandum

D. O. M.

Super Rosa,

Non tincta ex sanguine Veneris;
sed picta manu Numinis,
virtutum odore gratiarum decore
fragranti, fulgenti,
Vmbria felici quam protulit omine dives.

SVPER SERAPHICO

P. N. D. FRANCISCO,

Mundi stupore, Ecclesiæ Reparatore,
Monimento Redemptionis, vel Rosa Passionis,
in delitium in terrorem in solatium
Poli, Averni, soli,
Redemptoris referente
Mortem, Mœrores, Dolores,
Claves, Crucem, vulnera;
ideoque illi natum lepide illud cantum:

Ast alios inter florem specculare cruenti
In Cruce qui Christi mœsta trophæa refert.
Hic Crux, hic clavi, Christi prætiosa supellex
Pauperis, hic rubris vulnera picta notis.
O Dilecta Deo, cui cælum nectare sudat,
Et vigil intactas Flora tuetur opes,
Quis tanta in parvo lusit miracula flore?
Nempe sua hic pinxit se Deus ipse manu.

Miræ hujus Rosæ, vernas efflans ab ore rosas, docte, & diserte elogia panget Orator sermone potens, R. P. Fr. ILDEPHONSUS CARREñO Majoris Complutensis Lycæi Collegialis, Lector Jubilatus, & in Conventu Corporis Christi de Moron Guardianatus munere fungens.

LVCE QVARTA

VIVIS LUGUBRI, MORTUIS SALUBRI, OFFERUNTUR
præces, vota, piacula,
Danti æternitatem,
Pro floribus
Origine candidis, vita candidioribus;
honoris, honeſtatis,
verſicoloribus variis,
quos mulcebat proſperitatis aura,
educabat opulentiæ imber.
Sed cum à fluo flos, & quaſi fluores flores,
quod cito fluant, & ocius defluant, eos enim
Vna dies aperit, conficit una dies,
ſævo ſlante Libitinæ flatu, contrivit
Tot ſpecies, tantoſque ortus, varioſque novatus.
Ergo ut tot florum genera, florea tot germina
Ducum, Marchionum, Comitum, Principum,
Noſtrorum Patronorum beneficorum,
qui virtute vixerunt, memoria vivunt,
gloria vivent, fama per ora volant,
in terra viventium
vivant, floreant, redoleant;
adhibentur
pyra ſuffitus, hoſtia,
cantus, ſuffragia, planctus.
Defunctis tales debentur honores.

Hac die erit honor, & gloria in ſermone mœſto, ſed venuſto, quem dicet facundus, & conceptibus fœcundus P. Fr. JOSEPHUS NAVARRO, Ex Lector Philoſophiæ, poſtque varios Præſulatus, Hiſpalenſi Conventu Novitiorum Magiſter.

PRO FLORIBUS FILIORUM CORE

canticum

flori odorifero, florigero vireto,

Floræ venustæ

Cui dant munera Gratiæ triformes.

Dei	Naturæ	Gratiæ
præclaro	perfectionum	præstanti
operi,	specimini,	germini

Quo Divinæ fulgent miracula dextræ.

Gemmæ	decori	laudi
fœminarum	cœli	terrarum
Puellæ,	Matri,	Virgini

cui gratia favit,

Et validas valuit ævi rescindere leges.

Hæc est illa sola soli condita Soli

SACRATISSIMA MARIA.

penitus illibata,	prorsus Immaculata,
Sicut prima munda Unda,	Semper ut Oliva viva,
Expers Ditis Ovis mitis,	Eva mali inson; mali,
Mera carens clade Adæ,	Munda semper Polis Solis,
Purior Phoebo sine nævo,	Pulchra una sicut Luna,
Eos noctem pellens pollens,	Eadem liber diræ iræ,
Roris Vellus, nova Tellus,	Rosa rubens, lucis Nubes;
Ignis expers fumi dumi,	Sydus semper clarum rarum,
Lux astrorum, Fons hortorum,	Alma Dies Dei quies,
Lilium haud cadens candens,	Nunquam discors Lyra mira;
Ædes Regis, & non gregis,	Cœli Ara, Iris clara,
Semper virens, Palma alma,	Talpis Hortus totus tutus
Ager plenus, pura Venus,	Avis alta nunquam capta.

Huic ergo Magnæ Matri, gratiarum mari magno, pulchritudini pulchritudinum, & pulchrorum ornamento hæc florum serta, sive Doctoris Subt. florida asserta Provincia Seraphica Bœtica supplex, libens, hilaris D. O. S.

PRIMUS FLOS.

Eructavit cor meum verbum bonum.

ÆTERNUS Pater loquitur (D. Athanaſ.) Divini verbi generationem exprimens, quod de corde, ſeu (D.Amb.) de propria ſubſtantia, ſive (S. Nazianz.) ſibi conſubſtantialem ex cognitione Divinæ Eſſentiæ, attributorum, & Perſonarum, non autem poſsibilium, nec futurorum, per dictionem, & non per intellectionem produxit; illique dedit omnia, præter eſſe Patrem, cum hoc, & eſſe Ingenitum, ut dicit à nullo per ullam productionem eſſe, ſoli Patri conveniat, primum,ut rationem dicens primo conſtitutivam, ſecundum, ut proprietatem exprimens illius ſolius.

SECUNDUS FLOS.

Dico ego opera mea regi.

IPSUM verbum bonum quod ex corde eructavit Pater, nunc appellat (D. Ambr.) Regem, quia ipſe eſt Rex regum, cui omnia Divina opera ſuccumbunt. Omnia ergo per ipſum facta ſunt, Angeli incorruptibiles, incompoſiti tam phyſice, quam integraliter, ſpecie, & numero diſtincti, gratia ſanctificante inæquali prædi ti in primo inſtanti, in quo, peccare potuerunt. Per ipſum etiam factus eſt homo cum gratia ſanctificante, & virtutibus infuſis, à quibus omnibus diſtinguitur juſtitia originalis. Si primam tentationem primus homo ſuperaſſet, confirmatus fuiſſet in gratia felicis illius ſtatus, in quo, ſoli electi naſcerentur, & ipſi numero qui nunc naſcuntur.

TERTIUS FLOS.

Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.

HOC omne ille eſt, qui (S. Germ. Conſtantinop.) lingua Dei Patris, & (S.Chryſoſt.) ſcriba peritiſsimus eſt, ſcribens (D.Baſil.) in cordibus iuxta proportionem plura, vel pauciora, ſed velociter, cum eius gratia neſciat tarda molimina, Spiritus, nempe, Sanctus qui à Patre, Filioque procedit; licet ex ſua ratione formali non petat à duobus procedere. Pater, & Filius ſunt unum principium Spiritus Sancti cujus proceſsio eſt neceſſaria, & libera. Filius, & Spiritus S. diſtinguuntur inter ſe primo, per filiationem ille, per ſpirationem paſsivam iſte, ideo, ſi Spiritus S. non procederet à Filio, diſtingueretur realiter ab eo.

QUARTUS FLOS.

Specioſus forma præ filiis hominum.

CÆleſtis hic commendatur Sponſus ob pulchritudinem (D.Ambr.) quam habuit in Incarnatione, cujus poſsibilitas nequit naturaliter demonſtrari. Non fuit abſolute neceſſaria neque ex parte Dei, nec hominis, ſumme tamen utrique conveniens. Motivum illius non fuit Adæ peccatum, unde hoc non ſtante adhuc Chriſtus veniret. In Incarnatione fuit Chriſtus ſpecioſus (N.Lyran.) quoad corpus, quia formatum fuit virtute Spiritus S. ſimiliter quoad animam, quia ab inſtanti creationis repleta fuit omnibus gratiis, virtutibus, & ſcientiis. Præter ſcientiam acquiſitam, & infuſam habuit Chriſtus ab inſtanti conceptionis ſcientiam, ſeu viſionem beatam. *Abſque ullo præjudicio Chriſti, pie credimus, & potiſsime* (die 24.) *defenſabimus non eſſe diſſonum, quim potiùs conſonum auctoritati, & rationi Deiparam V. dum in vivis egit vidiſſe facie ad faciem continuo, & permanenter Divinam Eſſentiam.*

QUINTUS FLOS.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

GRATIÆ diffusio fuit finalis causa benedictionis: unde est (Agellius) sensus, propterea, sive ad hoc benedixit, ut gratia diffunderetur in labiis illius cui non est ad mensuram data, & ex ejus plenitudine acciperent membra, quorum caput est homo Christus Jesus. Membra sunt omnes homines, quibus suum caput Christus meruit gratias omnes quibus justificantur, aut ad justificationem disponuntur, liberationem à culpa, & pœna peccatorum. Christus D. ita est caput Angelorum, ut illis meruerit gratiam, & gloriam essentialem. Primis etiam parentibus meruit gratiam quam habuerunt ante lapsum.

SEXTUS FLOS.

Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime.

GLADIUS significat (Valentia) potentiam Christi in faciendis miraculis. Christus D. vera miracula patravit, sed fuisse vera non potuit evidenter cognosci à viatoribus. Miracula facta fuerunt à Christo D. virtute Divina, ut causa principali, concursu tamen humanitatis, ut Divinitatis instrumenti, non physici, sed moralis. Potestas ad miracula data fuit Christo D. ab instanti suæ conceptionis. Exercitium illius potestatis ante nativitatem cœpit, relate tamen ad manifestationem gloriæ suæ, à miraculo conversionis aquæ in vinum.

SEPTIMUS FLOS.

Specie tua & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna.

PERFECTUS Deus, & homo Christus vere, ac proprie habuit potestatem summam in quovis genere super universam Ecclesiam, tam Pontificiam, quam Regiam. Hinc erga omnia habuit jurisdictionem Regis; etiamque veram potestatem ferendi leges in utroque foro totam Ecclesiam obligantes. Quia autem dignitas Regia convenit Christo D. secundum Divinitatem, & humanitatem, dicitur, specie tua, & pulchritudine tua, id est (V. Beda) Divinitate, & humanitate tua intende, prospere procede, & regna.

OCTAVUS FLOS.

Propter veritatem & mansuetudinem, & justitiam: & deducet te mirabiliter dextera tua.

POST regiam dignitatem laudantur (N. Carthagen.) virtutes, quibus virtutum Dominus Rex gloriæ emicuit, veritas, nempe, mansuetudo, & justitia. Ultra istas, habuit prudentiam, fortitudinem, & temperantiam sine defectibus, & in gradu heroico. Fidem, quoad actum, non habuit, quoad habitum potuit habere. Spes, licet non rigorosa, fuit in ipso circa beatitudinem sui corporis naturalis, ergaque gratiam, & gloriam corporis mystici, non vero circa gloriam animæ suæ.

Horum florum strenuus astabit cultor & tutor P. Fr. FRANCISCUS ROMERO, in Majori Collegio Complutensi Collega, ductus, tutus lumine, tutamine, R. P. Fr. JOANNIS DE GALVEZ, Lectoris Jubilati, actualis Provinciæ Definitoris, & in Magno Regali Conventu Hispalensi promeriti Studiorum Regentis.

PRO LILIIS FILIORUM CORE

eruditionis canticum.

eruditionis amni, sapientia omni erudito summe,
qui plene ornavit rostrum, & plane decoravit theatrum,
mire illustrat thronum, & more informat claustrum.
Magnis nato, dotibus noto, cunctis apto,
honorato muniis, immutato honoribus,
quis si Nominis omine *Gratia*, Cognominis
DE SOTO,
anagrammate puro,
ES TODO,
Et revera suis omnibus omnia factus:

Arcus,	Doctor,	Pharus,	Manus,
Argus,	Ductor,	Phoebus,	Murus,
Navis,	Pastor,	Scala,	Umbo,
Nubes,	Pater,	Schola,	Umbra.

Hic est, & sic est

Rmus. P. N. F. JOANNES DE SOTO,

Lector Jubilatus, in Regia Synodo Immaculatæ Conceptionis Theologus, & Trium Ordinum Seraphici Patris meritissimum Caput.

Hic ille plenis occeanus pater
Laudum carinis.

Verum quomodo laudari valet, quod admirari debet? Laus illi lingua exigua, quem laudant merita obvia. In Te Rme. P. quidquid objectum, uti mirum, totum encomium.

Excubat in medio Tibi pulchra Modestia *vultu,*
Et niveus roseo regnat in ore Pudor:
Simplicitas *oculis, sacra* Facundia *lingua,*
Ridet in ingenuis Gratia *viva genis:*
Majestas *humeros, placidam* Clementia *frontem,*
Pura verecundus pectora Candor *habet:*
Pra foribus famuli, video famulaque morantur:
Virtutem *Dominam quis neget esse domi?*

Facili ergo vultu, litterarum Amasi, suscipe hæc ex feraci Scoti Xysto Scotum redolentia selecta lilia, quibus & se Tibi dicat Provincia Bœtica obsequio addicta, gratia allecta, amore astricta. Vive, vale, Salve.

LILIUM PRIMUM.

Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum regis.

ELOQUIA Domini (N. Titelm.) verba evangelicæ prædicationis, & Divinæ inſpirationes (Flores) ſunt Dei acutæ ſagittæ, quas in omnium corda mittit; etenim omnibus loquitur, omnes ſagittat auxiliis vel remote, vel proxime ſufficientibus, ut vel renaſcantur ex aqua, & Spiritu Sancto; vel ut ad agnitionem veritatis veniant; vel ut convertantur, & vivant; vel ut perſeverent in bono uſque in finem, & ſalvi fiant. Simpliciter, & abſolute potuit Deus nulla providere homini lapſo auxilia ſufficientia ad ſalutem.

LILIUM SECUNDUM.

Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui.

DEſcribitur (N. Lyran.) magnificentia Regis Chriſti quantum ad Deitatem, cujus ſedes eſt in ſæculum ſæculi, quo ſignificatur (Eſtius) abſoluta, & interminabilis æternitas, quæ formaliter eſt, modus realis negativus vere conveniens exiſtentiæ Dei. Creaturæ vere coexiſtunt æternitati pro tempore quo realiter exiſtunt, non vero ab æterno, niſi objective. Virga directionis denotat (S. Chryſoſt.) Dei Providentiam, qua cuncta, per apta media diriguntur in ſuos fines. Conſiſtit formaliter in ſolo actu voluntatis. Non requirit ſcientiam mediam; nec de illius formali ratione eſt aſſecutio finis particularis.

LILIUM TERTIUM.

Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem.

HOC dicitur (N. Lyran.) de Christo D. ratione humanitatis, secundum quam, habuit vere voluntatem humanam, à Divina distinctam, quæ fuit libera libertate indifferentiæ, subjecta aliquot præceptis legis naturæ, saltem quatenus non licebat ea transgredi, habuitque verum præceptum redimendi hominem per mortem. Voluntas humana Christi D. semper fuit conformis voluntati Divinæ: ideo dilexisse, dicitur, justitiam, & odisse iniquitatem: etenim ejusmodi amor, & odium in Divina reperitur voluntate.

LILIUM QUARTUM.

Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

GRATIA unionis hypostaticæ (D. Athan.) etiam que gratia (N. Lyran.) habitualis exprimuntur oleo lætitiæ quo Deus unxit Christum D. Unctio hæc causa fuit dilectionis justitiæ, & odii iniquitatis, ita ut sit (Tigurina) sensus: amas justitiam, odis iniquitatem, propterea quod te Deus unxit, non è contra; nam Christus D. nec meruit, nec mereri potuit oleum unionis hypostaticæ, nec gratiæ habitualis; gloriam temen sui corporis. & nominis exaltationem, saltem indirecte, meruit. Gratia habitualis Christi D. non fuit infinita, summa tamen; ideo unctus dicitur præ consortibus, seu (N. Lyran.) præ omnibus intellectualibus creaturis.

LILIUM QUINTUM.

Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis: ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

A VESTIMENTIS, seu ab (Tirinus) humana natura Christi D. quæ est (N.Lyran.) Deitatis vestis, deprompta a purissimis visceribus B. Mariæ V. tanquam a domibus eburneis, aspirant gratissimi odores myrrhæ, guttæ, & casiæ per quæ aromata (Menoch.) significantur Spiritus Sancti dona, quæ enumerantur ab Isa. cap. 11. & non distinguntur à tribus virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus. In Christo D. ab instanti conceptionis fuerunt omnia dona, beatitudines, & fructus Spiritus S. excepto gaudio, forte in eo miraculose suspenso.

LILIUM SEXTUM.

Astitit regina à dextris tuis in vestitu de aurato.

SPONSO collaudato, vertitur Epithalamium in dilectam Sponsam (S.Cyril.) Ecclesiam, vel (D. Basil.) Animam, quæ, sub arbore malo suscitata, astitit à dextris Sponsi, in vestitu deaurato, & super nivem de albato gratia (Euthim.) Baptismi, & (D.Hieron.) aliorum Sacramentorum, quæ, de Fide est, dari in Ecclesia, & esse septem à Christo D. instituta. In lege naturæ, & scripta extitit verum Sacramentum. Omnia novæ legis Sacramenta causant gratiam, non physice, sed moraliter. Dabile est Sacramentum validum, & in forme, sed taliter nequit esse pœnitentia.

LILIUM SEPTIMUM.

Circumdata varietate.

AD decorem Sponsæ ornatæ veste deaurata Baptismi gratiæ, accedit varietas (D. Chrysost.) virtutum Fidei, Spei & Charitatis, quarum opus est ad operandum sicut oportet, & minime educuntur, sed creantur, nec destruuntur physice, sed moraliter. Habitus virtutum Theologicarum augentur per additionem gradus ad gradum. Concurrunt ad suos actus efficienter, non totaliter, sed partialiter cum potentiis. Per actus ipsarum acquiritur habitus ordinis naturalis.

LILIUM OCTAVUM.

Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & oblivifcere populum tuum, & domum patris tui.

MONETUR Ecclesia (N. Alensis) ex Judæis congregata, & Gentibus, ut horum ritus oblivifcatur. Vel vox est (Stheuch.) ad fidelem Animam, à qua postulatur vitiorum oblivio, & peccatorum fuga, ne illis à Sponso quo per gratiam conjuncta est avertatur; nam peccatum mortale includit aliquam aversionem à Deo, privatque ejus gratia, non physice, sed moraliter. Ratio formalis peccati est mera negatio rectitudinis debitæ inesse. *Peccatum habituale primario, & per se est* (die 25.) *ipsa transgressio physice preterita, & moraliter perseverans.*

Theologicos hosce lilios custodiet pervigil, sedulus propugnavit pugil P. Fr. EMMANUEL DE LORA, Collegii D. Bonaventuræ Hispalensis Collega, cui arx erit, & fax dans vitare, dans videre R. P. Fr. JOANNES PAULUS DE CARMONA, Lect. Jubilat. Supr. Inquisitionis Qualificator, Gadicensis Episcopatus Synodalis Examinator, actualis Definitor, & memorati Collegii ad præsens Regens emeritus.

PRO ROSIS FILIORUM CORE CANTICUM *amantissimum*

dilectissimo Nobis, amantissimo Nostri
Principi Mecœnati Patrono
magnifico, mirifico, munifico,
quem si exaltat honor, etsi exornat decor
familiæ antiquæ, stirpis augustæ
qua fulsere, floruere
Viri tot illustres, Heroes insignes, magnanimi Duces,
inclyti Principes, Orbis Primates, Urbium Patres,
fastis clari, factis præclari, trophæis celebres,
quorum

Hic acie vicit, muris hic depuli hostes;
Ille suo moriens sanguine traxit humum;
Perstitit ille, suaque enses in caside fractos
Rettulit, & centum pervia scuta locis;
Immanem ille, & adhuc stillantem cæde bipennem
Aeria victrici fixit ad alta manu,
Exuviasque ducum, currusque, hastasque cruentas,
Bellica virtutes pulchraque signa sua;
Pars minor est in laude sua laus tanta suorum,

quos non solum exequat, sed etiam superat,
mirisque dotibus, & probis moribus,
illorum extat
corona, splendor, culmen;
simulque
majus clarius, melius,
Procerum, Ducum, Principum
isopiron.

Exmo. D. D. BONAVENTURÆ

Osiorio, & Moscoso, Philipez de Guzman, Mesia, Davila, Manrique de Zuñiga, Velasco, & Aragon, Comiti de Altamira, Trastamara, Monte Agudo, &c. Marchioni de Astorga, Leganez, Ayamonte, &c. Duci de Aguiar, & Sanlucar la Mayor, Principi de Arazena, & hujus N. Provinciæ Patrono, & honori.

Huic majori Heroi, virtutum Majorum hæredi has Theologicas rosas Scoti radio educatas, & fluvio, in amoris, & grati animi anathema suæ dignationis temp'o offerimus, è throni tholo demise suspendimus.

PRIMA ROSA.

Et concupiſcet rex decorem tuum:
quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuu, & adorabunt eũ.

UT Sponſa audiat, videat, inclinet aurem, obliviſcatur populum ſuum, & domum patris præmium (N. Carthag.) ei hic promittitur, nempe, amor Domini Dei ſui: *Concupiſcet rex decorem tuum* (N.Titelman) amavit te, diliget: in Deo enim eſt vere, & formaliter amor erga creaturas, licet juxta earum diverſitatem, & ſtatus diverſus. Erga creaturas irrationales, eſt amor benevolentiæ, erga rationales, poteſt dici amor amicitiæ. Erga creaturas poſsibiles eſt amor neceſſarius, erga autem futuras, & exiſtentes contingens.

SECUNDA ROSA.

Et filiæ Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur, omnes divites plebis.

HOC cedit (N. Alenſis) in honorem Eccleſiæ, quantacumque enim munera Deo afferant filiæ Tyri, ſcilicet, Infideles, non acceptantur à Domino, niſi in fide Eccleſiæ offerantur, cum ſine fide impoſsibile ſit placere Deo. Non ob hoc, eſt verum, imo, ut falſum, damnatum illud, *Omnia opera infidelium ſunt, peccata, & virtutes Philoſophorum vitia*; præter fidem enim habere poſſunt juſtitiam, miſericordiam, continentiam, & alia, quæ non ſunt peccata, ſed bona moraliter, licet non ut oportet in ordine ad vitam æternam.

TERTIA ROSA.

Omnis gloria ejus filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

SPONSÆ decus, & omnis gloria ab intus, ab (Leblanc) interiore Dei gratia, quæ, non distinguitur realiter à charitate, & subjectatur immediate in voluntate. Ejus oppositio cum peccato non est physica, sed moralis: unde de potentia absoluta possunt simul esse. *Gratia justificans* (die 26.) *non physice, sed moraliter justificat.* Absque infusione gratiæ, potest fieri justificatio per extrinsecam condonationem. Potest Deus remittere peccatum per infusionem gratiæ, absque ullo pœnitentiæ actu ex parte peccatoris.

QUARTA ROSA.

Adducentur regi virgines post eam: proximæ ejus afferentur tibi.

VARII electorum ordines nomine (Theodoret.) virginum Sponsæ proximarum notantur. In verbo, *adducentur*, necessitas gratiæ significatur, quia nequit homo accedere ad Deum per cognitionem, & amorem, sicut oportet, quin adducatur gratiæ supernaturalis auxilio, licet absque hoc possit cognoscere aliquas veritates ordinis naturalis tam speculativas, quam practicas; & amare Deum naturali, & affectivo amore. Nec sine gratiæ auxilio potest homo servare omnia præcepta, vitare omnia peccata, & perseverare finaliter meritorie in bono.

QUINTA ROSA.

Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.

A Quatuor ventis electis congregatis, in lætitia, & exultatione adducentur in templum regis, in (N. Alensis) cælestem Hierusalem, quâ, ut in visione pacis, facie ad faciem videbitur Deus Deorum, qui ut Unus, & Trinus cum suis attributis, de facto est primarium visionis objectum; potest tamem videri Essentia sine Personis, & attributis. Non repugnat visio qua videantur omnia creata, & creabilia in Deo. Datur lumen gloriæ, concurrens active ad visionem, non ut causa totalis, sed ut partialis, & minus principalis, cum intellectu. Concursus luminis potest suppleri à Deo.

SEXTA ROSA.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: constitues eos principes super omnem terram.

HINC intelligitur (Lorin.) perpetua successio Pontificum, & prælatorum legitime electorum ordinatorumque in Ecclesia, pro cujus Patribus natus est ei Filius, quem constituit Principem super omnem terram, Clemens XII. quem de fide est esse verum Pontificem, cujus auctoritas est supra generale Concilium, sicut & infallibilis resolutio ex cathedra in definiendis credendis, & canonizatione SS. Infallibilitas decretorum Papæ loquentis ex cathedra est de se certa independenter ab acceptatione Ecclesiæ. Nullus unquam Papa ex cathedra loquens, erravit in fide.

SEPTIMA ROSA.

Memores erunt nominis tui in omni generatione & generationem.

CONSISTIT hæc perpetua memoria (Valentia) tum in traditione, tum in ſcriptis præſertim ſacris. Libri canonici S. Scripturæ ſunt tantum, ſignati à Trident. ſeſ.4. Verbum ſcriptum, ſeu Scriptura S. eſt vera, & certiſsima regula fidei. Præter verbum Dei ſcriptum, datur verbum Dei traditum, ſeu extant in Eccleſia traditiones Divinæ, & Apoſtolicæ, quæ ſunt etiam regulæ fidei: unde S. Scriptura non eſt unica fidei regula.

OCTAVA ROSA.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum, & in ſæculum ſæculi.

ECCE expectatus (Anterus) hujus Divini connubii effectus, perpetuitas laudis (Lorin.) in æternitate beatitudinis electorum, quam non minus denotant voces *in æternum,* quam *in ſæculum ſæculi.* Solus Deus habet rationem ultimi finis, ac beatitudinis objectivæ. Noſtra formalis beatitudo conſiſtit in operatione intellectus, & voluntatis, ſed principaliter in actu voluntatis. Impeccabilitas proxima eſt annexa beatitudini, haud remota. Etiam ſunt illi annexa perpetuitas, ſecuritas, gaudium, & delectatio; dextera enim Domini delectationes ſunt uſque in finem, quibus gaudebit cor noſtrum, & gaudium noſtrum nemo tollet à nobis. *Sic ſemper cum Domino erimus. Fiat, fiat.*

Hac tertia paleſtra aderit athleta P.Fr. EMMANUEL ALDANA, in Aſtigienſi Conventu Scholaſticorum Magiſter, qui his erit validus vallus Theoſophicis roſis, quæ rubeſcent amœnius, floreſcent felicius præſente, præſidente R. P. Fr. GEORGIO VIñER, Lectore Jubilato, & in Conventu de Sanlucar optatiſsimo Præſule.